

navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos, 315
 ast alios longe summotos arcet harena.

Aeneas miratus enim motusque tumultu
 'dic' ait 'o virgo, quid volt concursus ad amnem?
 quidve petunt animae, vel quo discrimine ripas
 hae linquont, illae remis vada livida verrunt?' 320

olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
 'Anchisa generate, deum certissima proles,
 Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,
 di cuius iurare timent et fallere numen.

haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est; 325
 portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.

nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
 transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
 centum errant annos volitantque haec litora circum,
 tum demum admissi, stagna exoptata revisunt.' 330

constitit Anchisa satus et vestigia pressit,
 multa putans, sortemque animi miseratus iniquam.
 cernit ibi maestos et mortis honore carentis
 Leucaspim et Lyciae ductorem classis Oronten,
 quos simul a Troia ventosa per aequora vectos 335
 obruit auster aqua, involvens navemque virosque.

Ecce gubernator sese Palinurus agebat,
 qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
 exciderat puppi mediis effusus in undis.

hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra, 340
 sic prior adloquitur: 'quis te Palinure, deorum
 eripuit nobis medioque sub aequore mersit?

dic age. namque mihi, fallax haud ante repertus,
 hoc uno responso animum delusit Apollo,
 qui fore te ponto incolumem finisque canebat 345
 venturum Ausonios. en haec promissa fides est?'

ille autem: 'neque te Phoebi cortina fefellit,
 dux Anchisiade, nec me deus aequore mersit.
 namque gubernaculum multa vi forte revolsum,
 cui datus haerebam custos cursusque regebam, 350
 praecipitans traxi mecum. maria aspera iuro